IN LIBRUM EXODI.

Ante explicationem sacri textus videntur omitti non posse praefationis quasi loco, quaestiones quaedam proemiales de nomine Authore argumento & similibus huius libri, quae nec ignorari debent ab huius libri lectoribus & habebunt in singulis nonnullam utilitate

QUAESTIO

De Nomine & inscriptione huius libri.

Respondeo apud Hebraeos inscribi Ve elle semoth i. & haec nomina i. omissa syllaba elle semoth i. haec nomina à primis 3 vocibus à quibus liber initium ducit est n. consuetudo scriptorum Hebraicorum plerorumque sacrorum praesertim, ut à primis librorum dictionibus nomen ipsis atque appellationem imponant, sic n. liber Genesis dicitur Beresith id est in principio & Leviticus Vajicra i. et vocavit. Dixi plerorumque nam non est id perpetuum Nam & liber psalmorum inscribitur sepher tehillim id est liber hymnorum seu laudum, sic liber Josue, liber Judicum & alii Nam ut praeter alios docet Augustinus, Steuchus, Eugubinus in recognitione Veteris testamenti ad primum caput Geneseos, Hebraei 3plici inscriptione uti solent primam sumunt ab inchoatione libri, 2dam ab authore ipsorum librorum ut fit cum in libro Josue & primo & 2do Samuelis